



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. De Qualitate Etruriæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

Hister sonat Ludionem, sic Livijs, & Valerius Maximus.

Apud eos si quis soluendo non esset, sequebantur eum pueri cum vacuo marsupio; *Heraclides in politijs.*

N V M. 5. *De qualitate Etruriæ.*

FOECVNDITATE nulli regioni decedit, vnde delicijs diffuebant, & luxu Tusci, *Diodor. lib. 5.* Colles etiam habent arationi idoneos, & humore modico non hiberno solùm, sed & æstiuo tempore regio irrigatur, *idem Diodorus.* Multi inde fructus, & tellus hîc fert omnia non tantùm ad necessitatem, sed etiam ad delicias; *idem Diodorus Siculus.*

N V M. 6. *Quantitas & fines Etruriæ.*

CERTVM est olim obtinuisse Padi ostia, si quidem fossas omnes hîc ductas operâ Tuscorum *Plinius* ait; vnde & Scyllax hîc Spinam Tuscorum urbem agnoscit. Ne hîc te morer Galliam Circumpadanam olim ab Athesi fluvio l'Adice ad Orgum Fl. Orco videntur obtinuisse. Nam Atria Tuscorum colonia fuit, & à Gallis atque Liguribus olim separati erant. Extenderunt & ditionem suam vltra Arnum Macram vsque: nam Pisas & Lucam in Etruriâ, collocant *Livius & Strabo.* Promoti sunt olim & ad Circeium Prom. quod ex *Theophrasto* colligitur, & *Hesiodo* in *Theogoniâ.* Nisi malis id referre ad ea tempora quorum meminit *Dionys. Halicarnassensis lib. 1.* quando Umbri, Latini, Aufones, & tota Occidentalis Italia Tyrrhenia dicebatur.

FINES verò ab omnibus Geographis recepti sunt, ab Occidente Arnus, aut Macra; ab Oriente, Tiberis; à Septentrione Apenninus; à Meridie, mare inferum cui nomen dedit Tyrrhenû, postea Tuscum.

§. 4. *Geographica Etruriæ descriptio.*

N V M. 1. *Decerpta Liguriæ, seu Regio inter Macram, & Arnum fluvios, quelque partie de l'Estat de Gennes, l'Estat de Mazza, & de Carrera, les terres enlacées du Grand Duc, partie de la Carfagnane, l'Estat de Luques, & quelque peu du Pisan.*

APVANI LIGVRES eam regionem incoluerunt, qui Romanis multum exhibuere negotij, eosque aliquando malè multrarunt.
Sed